



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 248. Tunc Pilatus iussit reddi Corpus Iesu. v. 59.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

Princeps & senatorij ordinis, quàm si vel mater Iesu vel quispiam discipulorum vel Christi consanguineorum, quorum maxima pars de populo erat, petivisset.

**D**omine cuius providentiæ non est numerus, Ecce dum mater tua, & discipuli tui solliciti sunt quomodo corpus tuum vel redimere vel recuperare possint, ut id honeste pro merito sepeliant, en adest homo & Iudæus & Princeps Iudæorum pro consolatione tristis matris tuæ & discipulorum tuorum, petit & obtinet corpus Iesu ad sepeliendum, Omnia Dei providentia! Per hanc igitur providentiam tuam, mi Deus, mihi adesse & succurrere opportunè digneris; maximè in mortis hora, quando rationem redditurus sum de omni actione mea, cogitatu, verbo & opere.

§. 247. *Et petit Corpus Iesu.*

Finis huius accessus Iosephi ab Arimathia erat, ut peteret corpus Iesu deponi de cruce, ad sepeliendum iuxta morem Iudæorum, qui solebant deponere corpora mortuorum in patibulis, tum alias ob maledictum, tum propter magnum Festum imminens Paschæ, quo ipse Ioseph usus est argumento apud Pilatum, ut facilius obtineret, non enim poterat vel propria autoritate vel Caiphæ Pontificis vel Senatus-Consulto quia ius gladii perdididerant, & Romanis iure belli & fisci Cæsarij concesserant, unde debebat ab ipso Pontio Pilato præside Romanorum eam licentiam deponendi corpus Iesu & sepeliendi obtinere: neque detinebat ipsum contumacia, quam alij Principes & Seniores Iudæorum intendebant, ne irent cum Pilato ad prætorium, sed charitas & amor in Christum superabat illum timorem, & sic mortuum honorare satagebat quem vivum coluerat.

**B**one Iesu sic & ego curam mortuorum habeam ex charitate ad sepeliendum vel conducendum, ut exerceam opus misericordiæ, tuo doctus exemplo & huius Sancti viri ab Arimathia gratis & propter retributionem solam quam tu promissisti faventibus opera misericordiæ in die Iudicij: in quo dices; *Venite benedicti patris mei percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi.* Exerceam obsecro Domine ita misericordiam ut regnum promissum percipere merear cum hoc S. Iosepho & c. SS. Misericordiæ cultoribus. Amen.

§. 248. *Tunc Pilatus iussit reddi Corpus Iesu. v. 59.*

Ad petitionem tanti viri & Principis, & ob causas ab eodem allegatas iussit Pilatus

Pilatus reddi corpus Iesu Iosepho, qui non per alium, sed semetipsum curavit deponi, & afflictæ Matri Mariæ restituit corpus filij ut & cum ipsa terræ mandaret. Tantus amor & fervor erat in hoc homine Principe, ut pro charitate Dei & matris eius, non detrectare adire ipsum hominem gentilem Pilatum, & domum eius intrare contra morem Iudæorum, non attendens invidiam & oblocutiones Iudæorum, ex eo quod peteret, imo proprijs manibus deponeret corpus Iesu à Cruce, sed & portaret & sepeliret in proprio sepulchro recenter sibi præparato. Verè iustitiam dilexit & æquitatem vidit vultus eius: sciebat namque quanti pretij & dignitatis esset hoc corpus deificatum, & quod per invidiam tradidissent morti contra omnem iustitiam Iudæi, ideoque & ipse cum Christo iusto iustus mori cupiens suscepit hunc amoris divini laborem, & iustitiæ opus contra Iudæorum machinationes & investivas omnes triumphator.

**D**omine Iesu, scio quod maiorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis, vel iustitia. Ecce hic dives & Princeps ex charitate corpus tuum à Cruce deponendi, & sepeliendi honorifice, exponit se periculo mortis & invidiæ Iudæorum, & Principum, & Seniorum ut tibi soli serviat & Matri pro iustitia, da quoque & mihi hanc gratiam ut in omni actione & occasione pro te & tua iustitia ignominiam pati imo mori non recusem.

§. 249. *Et accepto Corpore. v. 60.*

O quanto cum gaudio exultavit, quod dignus fuerit habere hoc sanctum Corpus illud tangere, deponere, reddere, afflictæ Matri, & id honorare & sepelire: Quâ festinatione illud deposuerit, ne per importunam Iudæorum & Principum invidorum instantiam apud Pilatum sententia mutaretur! ô quot lacrimis amoris lavit hoc corpus Iesu inter deponendum, quot oscula fixerit salvificis illis vulneribus. Certabat in eo luctus & gaudium. Luctus ob crudelitatem exercitam; gaudium ob impetratam potestatem sepeliendi & honorandi corpus Iesu, modico tempore quo ipsum erat mansurum visibiliter in terris. O quot genu flexiones! quot adorationes ab astantibus exhibitas credemus! Quis non flevisset, si Christi matrem vidisset in tanto supplicio acceptantem à Cruce filium!

**O** domine fleam me peccatorè omni momento, fleam te iustum iudicem pro me patientem, Christi matrem fleam contristantem & dolentem, & quod sim causa tantæ crudelitatis.

§. 250. *Ioseph inuolvit illud in sindone munda. v. 59.*

Ioseph cognoscens quantus honor deberetur huic corpori, & quam  
imma-